Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Proemium

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

Theologiæ Universalis ~~Ettonianæ~~ Tomus Primus.

De Locis Theologicis.

Proœmium.

Omne argumentum vel à ratione vel ab auctoritate ducitur: hæ enim sunt loci seu fontes, ex quibus quælibet Disciplina sua argumenta depromit, et ad quos conclusiones suas efformat. His ergo duobus modis rem quamcunque, quæ in controversiam venit, definimus. Cùm autem in reliquis omnibus Disciplinis primum locum ratio teneat, postremum auctoritas, tamen Theologia una est, in quâ non tam rationis in disputandô, quàm auctoritatis momenta quæruntur. Etenim locum ab auctoritate ita sibi vindicavit, ut rationes vel tanquam hospites et peregrinas excipiat, vel in suum etiam obsequium asciscat, quasi longè repetitas. Quippe fide potissimùm innititur, quæ, nisi ab auctoritate proficiscatur, non modò fides esse, sed ne intelligi quidem potest. Est namque fides, ut Apostolus tradit, argumentum rerum non apparentium, quas si certas certâ velis ratione facere, cum ratione profectò insanies. Principem itaque locum, sicut apud fideles, ita apud Theologos auctoritas habet; Ratio deinde velut pedissequa sequitur. Id Apostolus videtur significare, cùm ait: Oportere Ecclesiæ Doctorem

Das ganze Proœmium
Mit Mittel
ungestalten

amplectitur, qui secundum Doctrinam est, fidelem Sermonem, ut potens sit exhortari in Doctrinâ sanâ, et eos, qui contradicunt, arguere. Primum enim stringat Fidei Sermonem, necesse est, quicunque Christiane Scholæ Magister esse volet: Sed nisi mox Doctrinæ rationem adhibeat, fidelis quidem esse poterit, sed fidelium Doctor esse non valebit. Nam et homines, quamlibet experti, disputare cum adversariis non queunt, nisi experimento ratio accesserit. Utraque igitur Theologo necessaria est, et auctoritas, et ratio, sed ita tamen, ut auctoritas primas in Theologiâ partes obtineat; ratio verò habeat postremas. Duplicis igitur generis sunt loci seu fontes, unde Theologia argumenta sua eruit, quibus utitur, ut vel fidem explicet, vel ut morum regulas astruat, vel ut tum fidem, tum morum regulas liberet ab hæreticorum hominum, quorumdamque etiam Catholicorum proprio genio indulgentium corruptelis; nempè Auctoritas, et Ratio. Sed omnia fere argumenta Theologica à priore ido fonte derivantur.

Hujusmodi autem locos Theologicos decem numeramus, quos quisque pro suô arbitriô, vel in minorem numerum redigere, vel subdivisionibus quibusdam in majorem dilatare poterit. Sed de enumerationis figurâ nihil morandum est, modò nullus omninò locus superfluus numeretur, vel prætermittatur necessarius.

Primus igitur locus est Auctoritas Sacræ Scripturæ, quæ Libris Canonicis conti-

netur. Secundus est Autoritas Traditionum Christi, Apostolorum, et Ecclesiæ, quæ quoniam Scriptæ non sunt, sed de aure in aurem ad nos pervenerunt, vivæ vocis oracula rectissimè dixeris. Tertius est Autoritas Ecclesiæ Catholicæ, præsertim in Conciliis generalibus congregatæ. Quartus est Autoritas Romani Pontificis et ipsius Romanæ Sedis Apostolicæ. Quintus est Auctoritas Sanctorum Ecclesiæ Patrum et Doctorum. Sextus, Autoritas Veterum Ecclesiæ Scriptorum, et Autoritas profanæ historiæ, sive per Autores fide dignos Scriptæ, sive de gente in gentem, et de Sæculo in sæculum tradita, non superstitiosè atque anilitèr, sed gravi, constantique ratione. Septimus est Autoritas Theologorum Scholasticorum, quibus adjungimus etiam Juris Pontificii seu Canonici peritos; nam Juris hujus Doctrina Theologiæ Scholasticæ respondet. Octavus, Ratio Naturalis, quæ per omnes Scientias naturali lumine inventas latissimè patet. Nonus, est Autoritas Philosophorum, qui naturam Ducem sequuntur. Decimus denique, est Autoritas Juris Consultorum Cæsareorum, qui veram et ipsi, ut Jure Consultus ait, Philosophiam profitentur.

Hi sunt itaque Decem Loci Theologici, et in quibus argumenta omnia Theologica delitescunt, eô scilicet discrimine, ut

que ~~[illegible]~~ à S. Scripturâ, Traditionibus, Ecclesiâ, Romanô Pontifice Romanâque Sede, Sanctis Ecclesiæ Patribus, Veteribus Ecclesiæ Scriptoribus, Theologis et Juris Canonici peritis petuntur, propria sint huic facultati; reliqua verò adscriptitia sint, ac velut ex alienô emendicata. Nam cùm, ut supra diximus, generatim duo argumentandi genera numerentur, unum per auctoritatem, per rationem alterum, cumque illum proprium sit Theologi, hoc Philosophi, confugiendum est Theologo ad posterius, si superiore uti ei non licet. Quanquam interdum utrumque simul argumentandi genus adhibeat, ut suis locis patebit. Modò ad ipsorum locorum horum tractationem prefixô ordine transeundum.